



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Francisca Romana 9. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. FRANCISCA ROMANA. 9. Mart.

CÆlum non terram habitasse FRAN-
CISCAM credo. Ita semper aut cæ-
lum cum FRANCISCA aut FRANCIS-
CA in cælo fuit. Agræ medicus D. A-
lexius affuit; Assisum pergens itineris
comitem ipsum Franciscum habuit. Ga-
briël modo inferos ei, modo cælos mon-
stravit. Tutelaris quoque; cum filio E-
vangelistâ nuper mortuo superveniens
Archangelum se esse prodidit; nempe
semper deinde aspectabilem habuit, in-
vidiam Soli etiam fereno facturum. Cer-
tè ad ejus vultum recitate *Virginis* offi-
cium (& recitabat à primis annis quoti-
die) etiam nocte poterat; ipse concussâ
solum cæsarie (fulmina prodire videban-
tur) orci larvas fugabat. Idem cum per-
peram aliquid gestum erat, erubescere vi-
sus, inò quandoque subducere se. Semel
etiam *Franciscæ*, quòd aurem profanis
fermonibus licet invita præbuisset, pu-
gnum impegit, quem quidem (audaces
nos!) etiam cum accersimus prætextata
verba, non meruimus. Jam sub ultimos
vitæ dies hic nobiliori Angelo locum ces-
sit. Ipsa cæli *Regina* sæpe sæpius aspectu
suo *Franciscam* recreavit *Filiumque* ad
amplexus & oscula propinavit. Hic ipse
quoties decumbenti affedit, dictisque a-
nimum demulsit, vel inutus solatio futu-

162 VITÆ SANCTORUM. 10. Marti-
rus? quoties se cibum præbuit? quoties,
ut in amantis oculis luderet, in omnes
formas se mutavit, & nunc nasci iterum,
agereque quæ puer egit, nunc pugnas ve-
teres pugnare mortemque obire iterum,
triumphare iterum visus est? Sed & Ag-
num iterum induere, & ex lateris fonte
illud nectar fundere sitienti voluit, quod
omnes olim biberemus, nisi mundi lacu-
nas sitiremus. *Ex vitâ.*

*Solent Angeli astare orantibus & dele-
tari in his, quos vident levare puras ma-
nus in oratione: holocaustum sanctæ devo-
tionis gaudent se offerre Deo in odorem sus-
citatis. S. Bern. hom. 3. super Missus.*

S. CODRATUS M. 10. Martij.

Adeste & aures advertite, qui matrem,
qui ubera matris, & sinum clamant-
is molliculi: suum etiam Superis lac est.
Matrem CODRATUS in cunis ami-
sit, neque tamen non molliter est edu-
catus. Et enim nube miraculosâ implici-
tum Numen fovit, & ambrosiâ scilicet
enutrivit delicatum. O pluribus cæli hanc
instillate, plures ut CODRATOS
habeamus! Nimirum à cælo lactatus cæ-
lum sapuit, cælum spiravit CODRA-
TUS, & cæli amore, etsi medicus alio-
rum prolongaret, suam ipse tamen vitam
imò mortem contempsit. Ecce enim ver-
berant crudelem in morem CODRA-
TUM